

FAVENTE J E H O V A,  
DISPUTATIO PHYSICA INAUGURALIS,  
*De*  
**M O N S T R I S.**

Q U A M  
*Ex Amplissimae Facultatis Philosophicæ consensu & appro-  
batione in celeberrima Academia Aboënsi,*

Pro-Cancellario Amplissimo;

*Plurimum Reverendo & Eminentissimo in Christo Patre,*

**DN. Æ SCHILLO PETRÆO, S.S.**  
Theol. Doct. Excellentissimo & Celeberrimo, ac Diœcesis A-  
boënsis Episcopo meritissimo, Mecœnate & Patro-  
no suo Magno,

Magnifico Rectore,

*Admodum Reverendo & Praclarissimo VIR O,*

**DN. M. SIMONE KEXLERO NERICIENSI,**  
Mathem. tam super. quam infer. Profess. subtilissimo, & in

*p̄ficiis Pastore Dignissimo,*

S U B P R A E S I D I O,

*Reverendi & Præcellentissimi VIR I.*

**DN. M. ABRAHAM GEORGII**  
T. HAU VON I I, Phys. & Botan. Prof. P. Simulac in Lund  
Pastoris fideliss. & p. t. Facultatis Philosophicæ DECANI  
Spectabilis; Præceptoris, Fautoris & Promotoris  
sui reverenter suspiciendi.

*Pro Gradu Magisterij Philosophici, ejusq; Privilegijs obtainendis, publi-  
co Examini placidè discutiendam submittit*

**PETRUS MAGNI GYLLENIUS WERMELANDUS,**  
S. R. M. tis Stipendiarius.

*Ad diem 9. Junij, Anno 1655. horis locoq; consuetis,*

A B O Æ,

*Admodum Reverendo & Amplissimo in Christo Patri,*

**DN. M. SVENONI ELFVEDALIO;**  
Dioeceseos Carlstadiensis Superintendenti gravissimo, e-  
iusdemq; Civitatis & Ecclesiae Dei, quæ est in Rijlen Pastori  
dignissimo, Mecœnati ac Promotori suo omni honoris  
genere æternum prosequendo.

U T E T

Nobilissimo, Speciatissimo, singulari, prudentiâ Politissimo **VIRO**,  
**DN. ENGELBERTO Enestfiöld/Hæredita-**  
rio in Wiucala & Lätteböhle quondam Magni Ducatus Finlan-  
diae Cameratio circumspectiss, Fautori & Consangvineo  
suo perpetim colendo.

N E C N O N

Reverendis, Clarissimis, Venerabilibus & Præstantissimis  
**VIRIS ac Dominis,**

Ecclesiastici Consistorij Carlstadiensis **A S S E S S O R I -**  
**B U S, PRÆP O S I T I S & P A S T O R I B U S** in Dioce-  
cesi Carlst, Fidelissimis, Promotoribus suis certissimis,

I T E M

*Venerandis, Prudent. Præstantissimis & Humanis. VIRIS,*

**DN. SYMPATRIOTIS** suis in Finlandia habitan-  
tibus, Fautoribus & Amicis longè optatissimis, promptissi-  
mâ animi gratitudine & officiosissimo studio prosequendis.

*Ac insuper*

**DN. Samueli Æschilli Petræo.** Musarū Cultorib⁹ im-  
**DN. Simoni Caroli Greef.** pigerrimis, & discipu-  
**DN. Henrico Caroli Greef/ S. R. M. stip.** lis suis dilectissimis.

Hanc Disputationem Gradualem humiliter &  
officiose dicare ac offerre voluit.

**PETRUS Magni Gyllenius**  
Wermelandus.

# Prooemium.



Ihil mundo pulchrius, nihil admirabilius, pulchrum est cœlum, pulchræ stellæ, pulchrum quicquid totus habet orbis, ideoq; Græci & Latini nomen mundo de ornamento accommodarunt, ad illud tritum:

*Non alio mundus debebat nomine dici,  
Nomen ab ornatu convenienter habet*

Ast hanc totius universi pulchritudinem horrenda nonnunquam & enormia Monstra, si non deformare, tamen obscurare videntur. Olim Africa semper novi quid afferebat, sed hodiè etiam Europa habet, quæ novitate non carent, nullus enim fermè locus, & nullus angulus à spectaculis istis liber est. Namq; pueri, & juvenes, & senes, monstra aliquot visu, auditu, tactuq; notarunt. Audiuntur sæpè mirifica animantium corpora nasci, quorum antea in historiis nulla mentio. Nascentur aliquando macrocephali, cæci, unoculi, simi, nasones, labeones, dentones, gibbi, lori pedes, sedigitti, unimani, Hermaphroditi, & infinita alia, quæ deuant, & horrere faciunt, præcipue:

*Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum,*

Verum theoria Monstrorum utut aliàs cognitu & intellectu difficilima, attamen jucunda & utilis habetur, quoniam in minimis ac mutilis etiam quid latitare, quod animum veritatis avidum oblectet, novimus. Quamobrem cum mihi ad nutum & voluntatem venerandæ Facultatis Philosophicæ aliquod specimen in Philosophiâ

edendum esset, Monstrorum contemplationem, ac fœtus illos deformes, pro ratione ingenii, brevioribus quibusdam thesibus includere, & placidæ disquisitioni submittere constitui. Tu summe Deus largire successum, ut feliciter succedat.

## THE S I S.

### I.

**D**isputationem de Monstris aggressurus, extra omnem dubitationis apud saniores Philosophos aleam, eadem dari & esse, positum existimo; eò quod non solùm præstantissima Phil: pars Physica, verum etiam ipsa experientia illud ipsum satis evincat. Hoc autem Theoria ad Physicam spectat non Directè & per se, sed Indirectè & per accidens, ejusdem enim Disciplinæ est, rem scrutari ut se juxta naturam, ita & ut se præter naturam habet. Sic Ethicus non bonos tantum; sed & malos describit mores, & Geometra de linea inæquali ac æquali differit ex arte suâ.

### II.

In accurato rei tractatu unumquemq; certo ordine progreди oportere, bona svadet Methodus, nisi palantis instar, in ignota (quod dici solet) errabundus obserret sylva; Consideratio proinde præsentis negotij, duobus potissimum absolvitur, 1. Ονοματολογία seu Nominali explicacione. 2. Πραγματολογία sive Reali enodatione.

### III.

Circa nominalem explicationem tria veniunt notanda. 1. Ετυμολογία seu nominis notatio. 2. Ονοματολογία sive varia acceptio. 3. Συνωνυμία seu vocum æquipollentium collectio.

### IV.

Etymologiam quod concernit, Monstrum dicitur communiter à monstrando, Cic. 2, de Nat. Deor. partim quod

quod monstrum est, hoc est, futurorum nota sit; partim quod monstrum est, cum cuncti trahantur novitate. Aet Christian. Beaman, in Manuduct. vult monstrum non a monstrare, sed hoc a monstru ducendum esse, monstrum vero a monitu: ut a claudio, clausum, claustrum, quae lis dirimentia Grammaticis relinquitur. V.

Ratione Homonymias Monstri vocabulum variis accipitur modis. (1) Pro raro & insolito quovis. Sic cura paralytici ob vim morbi a Medicis deserti, qui cum aedes flagrarent in praesenti periculo se precipitans, totus convaluit, monstrum dicitur. Item Eumelus Larissaeus ita contractas habuit manus, crura, maxillas, ut eas extendere et flexere non posset, cum si supinus caderet, et caput vehementer lapidi illideret, paulo post surgens sanatus est, et soluta omnia. Mart. Weinrich, c. 3. de ortu Monst. (2) Pro errato artificis. Sic Monstrum pingere dicitur pictor cum a recta artis orbita declinat, & pro Dianam ranam, pro ursam scrofa producit. (3) Pro perfectione insigni. Sic viri magni & sapientes Monstra dicuntur Cardano, verum vocis magis abusus, quam usu. Juvenalis quoque virum bonum suis temporibus ita rarum fecit, ut non minus monstrum fuerit, quam pisces sub aratro repertus. Hoc nomine gaudent etiam foeminae literis illustres, ut Lesbia, Erinna, Demophila &c. Quae philosophando, & carminibus, quod divinum semper habitum est, ita excelluerunt, ut cum viris sapientissimis contenderent. (4) Pro corpore ex regia & opere cum insigni enormitate & deformitate in lucem edito. Sic monstra vocantur monoculi, unimani &c. Quae postrema acceptio praesenti inservit instituto.

## VI.

Synonymia vero, seu Termini aequipollentes monstri sunt, quando Graecis dicuntur ζεράρα, σημεῖα, πα-

κεράσεις, σηρώματα, ἀλόγονα, &c. Latinis vero  
Factus monstrosi, monstrosa germina, mirifica corpo-  
ra, ostenta, portenta & prodigia. Svecis Undersöster  
vnaturlige diur/vnderbarligh skapnat &c. Hic observan-  
dum Monstra non verè & propriè appellari posse Svecis  
Troll/ & Finlandis pâiko/Liekiö, ut quidam putant, propter-  
ea quòd haec vocabula apud illos in malam semper acci-  
piantur partem, & notant propriè spectra, quæ ut non  
sunt inter Naturæ ἔργα: ità nec sunt inter ejusdem πρᾶ-  
γα; sed sunt Satanæ ludibria, qui posuit in cœlo bel-  
lum, in Paradiso fraudem, & in omni opere nostro semi-  
nat zizania, ille, ille est, qui nunc ex Elementis sibi ador-  
nat corpus, nunc astantium fascinat oculos, ut nullo  
præsente corpore corpus se videre putent. Tantum de  
πρᾶγματολογίᾳ ipsius monstri, quæ rationem nominis  
brevitè exprimebat, nunc πρᾶγματολογίᾳ sequitur.

#### VII.

Quæ monstrorum essentiam plenius explicat, & ab-  
solvitur Definitione Reali, ac Divisione. Definitio itaq;  
Realis juxta Sperl, talis haberi potest.

#### VIII.

Monstrum est effectus naturalis, cum insigni defor-  
mitate à causâ deficiente & aberrante productus. Hic  
duo occurunt declaranda: Genus scilicet & Differentia.

#### IX.

Genus desumitur à Materia, & est effectus naturalis.  
Monstri enim naturam intrant duo, Materiale & Forma-  
le, Illud ponit, hoc privat; datur quippè in monstribus quod-  
dam naturæ opus, licet depravatum, habetur naturæ a-  
etio, licet vitiata, informat forma, licet pravè, adest ma-  
teria, licet vitiosa. Differentiam largiuntur Formale &  
Efficiens, quorum illud est insignis deformitas, quæ dat

esse

esse monstro, nam ubi nullus defectus, nulla obliquitas,  
nulla materia à perfectione naturali deviatio, ibi etiam  
nullum monstrum. Notandum tamen quod non qua-  
liscunq; sed insignis & enormis deformitas monstrum  
facit, hinc qui nascitur cum maculis in facie, vel cum ver-  
rucā in digitis, non statim monstrum est dicendum. Hoc  
nimirum Efficiens est causa deficiens & aberrans, omnia  
quippè in universum monstra à causis oriuntur defici-  
entibus, aberrantibus, & peccantibus.

X.

Hinc causæ Monstrorum præcipue sunt duæ, Materi-  
alis seu subjectiva, & Efficiens. Omne itaq; monstrum  
in animalibus perfectis fit vel vitio Materiæ, vel defectu  
Efficientis.

XI.

Materia est semen (nec excluditur sanguis menstruus)  
quod si (1) deficiat, nascuntur infantes absq; brachiis &  
pedibus. (2) Si superfluat & redundet, nascuntur Gigan-  
tes, & infantes cum duobus capitibus, vel quatuor bra-  
chiis. (3) Si non legitimè misceatur, nascuntur muli, aliū-  
quæ effectus Naturæ secundum se abominabiles. Cau-  
sa autem Efficiens nunc est imaginatio. Sic Regina  
quædam in tactu imaginabatur Æthiopem propè lectum  
depictum imagine magnâ & distortâ concepit & pe-  
rit filium nigerrimum. Idem habetur ex artificio Jaco-  
bi Patriarchæ, qui baculos discolores injectos aqualiculis  
tempore congressus ovium incalescentium gregi stitit,  
qui postmodum varicolores concepit foetus. Nunc qua-  
litates uteri, nunc ratio spirituum, nunc aliud quid facul-  
tatem formatricem impedit, præstatq; ut parentes con-  
terreat infans.

XII.

Peractâ sic Definitione Nominis & Rei, ad alteram  
Pragmatologiæ partem scilicet Divisionē descendendū.

Estquæ

Estq; Dvizio Monstrorum commodissima in id quod speciem mutat, & quod speciem servat.

### XIII.

Species tum mutatur, cum ex equâ & asino nascitur mulus, qui nec equus, nec asinus est. Ex equo & asinâ hinnus, ex pardo & leænâ leopardus, ex lupo & pantherâ lycopantherus, ex gallo & pavone gallopavus &c. Quorum quædam propriâ animalium salacitate, quædam vano hominum ausu & instinctu fuere pronata. Homines enim novitatis avidi ipsa animalia sæpè ab hac pravâ commissione abhorrentia, variis artificiis Venere excitatâ, ad coitus illos compulerunt, præsertim animalia magnitudine non multum discrepantia, & gestationis tempore paria, eoq; modo congressum detestandum & partum abominabilem effecerunt. Neq; id satis erat sed & ipsi belluis sese commiscuere, ausuq; horrendo monstrorum partuum numerum adauxere. Joh. Baptista Porta scribit ex equâ & homine natum fuisse infantem cuius caput, collum, & manus hominis essent, cætera equi, ciulatus infantis. Sic ex homine & caprâ semiferum partum genitum, caprina habentem crura, faciem humanam refert Elianus. In proverbio etiam est, semper aliquid novi afferre Africam, propterea quod ibi sæpiissime diversa genera animalium coëcant, dum ob aquæ illius terræ penuriam in loca paucissima irrigua congregantur & copulantur.

### XIV

Monstra quæ speciem servant sunt in duplice differentiatione, vel circa sexum, cum individuum certæ speciei est sexus dubii, seu utriusque; vel circa constitutionem aliarum partium sexu illæso.

### XV,

Dubius sexus monstrum dicitur, quando membra genitalia ita sunt comparata, ut litigium oriatur, an mas sit, an foemina. Hic notandum quod Physicorum multi solent disceptare, an foeminae in mares, & mares in foeminas mutari queant? Plinius ait illam mutationem non esse fabulosam. Testantur enim historiae quasdam mulieres etiam postquam annos aliquot in matrimonio vixerunt, in mares fuisse mutatas. Testantur etiam mares in foeminas esse transmutatos, juxta versum de puer, qui in virginem mutatus fuit:

*Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento,  
Unus Epheborum virgo repente fuit.*

Item de Empedocle circumfertur versus:

*Et puer ipse fui, nec non quandoq; puella.*

Ast exempla ejusmodi ad monstra sunt referenda, non enim integer sexus in sexum abit, sed ubi genitalium vitium, ibi nunc masculum, nunc foemellam, nunc neutrumq; cernere licet.

Qui de utroq; sexu participat, Hermaphroditus, Svet. Twetool appellatur. Hic, ut est in fabulis, fuit Mercurij & Veneris filius, qui cum in fonte quodam cum Nympha Salmace lavisset, eaq; ipsum esset ardenter complexa, a Jove rogavit, ut ex duobus illis unum redderet, quod & factum his versibus Ovidius describit in lib. 4. Metam:

*Vota suos habuere Deos, nam mista duorum  
Corpora junguntur: facies q; inducitur illis  
Una, velut si quis conductat cortice ramos,  
Crescendo jungi, pariterq; adolescere cernat.*

Sic ubi complexu coierunt membra tenaci,  
Nec duo sunt, sed formâ duplex: nec fæmina dici,  
Nec puer ut possit: neutrumq; & utrumq; videtur.

Ab hoc omnes Androgyni Hermaphroditi dicti dicuntur. Qui sunt inter mares quatuor modis, nunc enim in peritonæo muliebre videtur pudendum; nunc in seroto, sed absq; profluvio: nunc in eodem cum profluvio: nunc supra mentulæ radicem. Inter foeminas verò binis modis, nimirum cum penis supra genitalis fastigium in clitorio & in imâ pupe prominet, & cum in peritonæo profertur. Signa potentioris sexus ex corporis habitu, animi moribus, excrementis, colore cutis & pilis, membris genitalibus, perviâ vulvâ, arrecto pene, & similibus peti possunt.

### XVII.

Monstra circa constitutionem aliarum partium sunt quatuor modis: nempè ratione Numeri, Magnitudinis, Unitatis & Conformatonis.

### XVIII.

Ratione Numeri habemus monstra peccantia in excessu & defectu, non poëtica, ut hydra lernæa cum suis septem capitibus; sed physica, eaq; in Defectu, quando pars quædā abest, quæ adesse debebat, ut cum nascitur homo abs quæ brachiis & pedibus. Plinius agnoscit populos ore carentes, lib. 7. cap. 2. & 3. Annotavit etiam homines monstruosos in Æthiopia capite carentes, os & oculos in pectore habentes, qui appellantur Bleptæ & Blemyæ. Lib. 5. c. 8. A. Christ 591. Tempore Cæsaris Mauritij, mulier in Thraciâ perdit infantem carentem oculis, supercilijs, brachij & manibus, & sub coxis desinentem in caudam piscis, que sursum se jactabat.

### XIX.

In Excessu verò nascitur monstrum, quando pars quædam adest

dam adest, quæ abesse debebat. Sic Albertus scribit de pri-  
ero quodam mortuo nato, cui erant undecim linguae, &  
viginti duo labia. Anno Chr. 596. Constantiopolis in subur-  
bio duo nati sunt infantes, alteri fuérunt capita duo, alteri pedes  
quatuor. Sic in Siciliâ natus est infans, Anno 1536. Tria  
habens capita, tria pectora, sex brachia, totidemq; pedes, qui  
triplici triplici capitis ore lac sugebat, & vagiebat, tres hic ad-  
fuisse animas e triplici pectore judicarunt docti, quod confirma-  
vit monstri interitus: cum enim mortuum fuit primum caput  
unum, hinc alterum, tandem tertium vitâ privatum est. Sperla  
de Monst. Et in nostrâ Patriâ aliquot septimanas post  
mortem R. Gustavi Adolphi mirum in Territorio Smol.  
Ösboe in paroecia Wernamo accidit. Vidua pauperrima  
conduxerat vaccam rustici, que prægnantem alvum gerens ne-  
quivit parere, sed oneri succumbens mortua est. Itaq; mæstria  
vidua tradidit lanio cuidam corpus vacce concidendum, ut vi-  
deret causam cur factum suum non producebat. Tunc invens-  
tus est vitulus duobus capitibus monstrosus, cui erant quatuor o-  
culi quatuor aures, duog; ora, sed unum collum: cohæabant capita  
circa mentum, corpus erat rubei coloris, sed capita alba, aurea  
rubicundæ, Bazius lib. 7. cap. 19.

## XX.

Eodem modo, ratione Magnitudinis est monstrum  
tam in Defectu, quam in Excessu.

## XXI.

Defectus est, quando vel totum corpus enormiter à  
communi mensurâ recedit; vel quædam pars à justâ ma-  
gnitudine deficit. Sic homunculi parvæ admodum  
staturæ, nani & pumiliones, qui in Principum & Ma-  
gnatum aulis aluntur, ordinem monstrorum adaugent  
maxime, namq; communem gentis humanæ staturam  
non attingunt, quos si videas, puerum septem aut octo

annorum spectare te existimes, quamvis ætatem vivant  
virilem. Reperiuntur etiam alij, qui truncos satis crassos  
& longo constant, parvæ tamen sunt staturæ ob solos pe-  
des vitio naturæ decurtatos.

## XXII.

Hic observandum, ea quæ de Pygmæis narrat Aristote-  
les, Plinius, Albertus, & qui hos sequuntur, fabulosa esse.  
Nullibi enim tam parva gens, insidens arietum capra-  
rumq; dorsis, bella quæ inferat gruibus, nulli populi,  
quorum tota cohors pede non altior uno, nulli homun-  
culi ab arbore in arborē instar sciurorum saltantes reperi-  
untur, nullibi gentiū. Meræ sunt fabularum anilium reli-  
quiæ, ejusmodi qui facile credit, facile decipitur. E su-  
is homines multa addunt, & à quavis muscâ elephan-  
tum faciunt. Nostro tempore, teste Spigelio, nulla  
mundi pars est, quam nautarum industria non perlu-  
stravit, nihil tamen unquam simile aut visum est, aut au-  
ditum. Franciscus Alvares Lusitanus, qui ea ipsa lo-  
ea peragravit, circa qua Aristoteles Pygmæos esse scribit, nempe  
per qua Nilus in Ægyptum fluit, nullibi tamen tam parvam  
gentem à se conspectam tradidit, sed populum esse mediocri statu-  
ræ. Pygmæi ergo nō sunt monstra, cùm nè sint quidem.

## XXIII.

Excessus est, quando vel totum corpus plus justo ad-  
augetur; vel pars quædam insigniter excedit, ut in gigan-  
tibus & megalcephalis videre est. Mentionem gi-  
gantū reddunt & Sacræ & profanæ paginæ. Exploratores  
terræ Canaan ajunt: vidimus gigantes filios Anac de genere  
gigantium, & eramus in oculis nostris sicut locustæ, & sic etiam  
eramus in oculis eorum. Num. 13. v. 34. Sic Historia Go-  
liath, & ossa in sepulchrīs reperta, sedes, res gestæ, aliaq;  
plurima hos dari testantur. Augustinus lib. 15. de civit.

Dei,

Dei, vidi, inquit, non ipse solus, sed alij mecum in Ulicensi lito  
tore molarem gigantis dentem, tam ingentem, ut si in nostro-  
rum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis vi-  
derentur facere posuisse. Scaliger se vidisse scribit in pu-  
blico quodam nosocomio juvenem tanta proceritatis, ut stare non  
posset, sed iacebat, explebatq; duos lectos simul iunctos. Pra-  
tereo Starckaterum, alioiq;, quos Sveci Jetter (forsan  
a voce Hebræa IETER fortem & excellentem denotante)  
Finlandi Calevan poiat nominant, quorum congeries  
& cumuli lapidum (Jettekast) in cacuminibus montium  
etiam hodiè multis in locis magnâ cum admiratione vi-  
dentur. Dantur utiq; gigantes, & ad ordinem mon-  
strorum omnino spectant, quia omnia facta sunt in nume-  
ro, pondere & mensurâ, hi autem superant communem  
mensuram, & degenerant a magnitudine solitâ. De  
gigantibus multa fabulosa apud Poëtas leguntur, Gigan-  
tomachiam Virgilius & Ovidius descripsierunt, quorum  
hic inter alia his verbis:

Affectasse ferunt regnum cœlestè Gigantes,  
Altaq; congestos struxisse ad sidera montes.  
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum  
Fulmine, & excussum subiectum Pelion Ossa.

Ille autem hisce versibus:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.,  
Scilicet atq; Ossæ frondosum involvere Olympum.:  
Ter Pater extructos disiecit fulmine montes.

Hæcce & alia suis relinquo Autoribus, & cum Weinri-  
chii Gigantes fuisse dico, multisq; locis disruptis tumulis  
eiusmodi corpora ostendi, non tamen ut fertur, cum  
Diis pugnasse, sed forsan Deorum ædes & templa vio-  
lasse.

XXIV.

Ut autem gigantes toto corpore excedunt: ita sunt

alia monstra, quæ partibus saltē quibusdam proportionem violent, interdum enim prægrandi nascuntur capite, interdum naso ingenti, de Charini naso elegans est illud Bezae:

*Quod quacunq; venis Charine fuga est,*

*Cediturq; tibi velut tribuno,*

*Tandem desine queſo gloriari,*

*Naso, non tibi ceditur Charine.*

## XXV.

Monstrum ratione Unitatis est, quando partes vel continuitatem vel contiguitatem debitam amittunt. Ut cum nascitur infans apertis pimium, multumq; hiantibus labris. Sic Anno Chr. 1544. Mense Februario natus est infans in Saxoniā, corpore quidem integro, sed contusis, laceratis, atque laxatis membris omnibus, excepto capite oblongo & velut Turcico pileo insignito.

## XXVI.

Ratione conformatioñis monstra alia peccant in figurâ, ut gibbi, repandi, simi, macrocephali &c. Alia in superficie, ut pilosi, hirsuti, villosi &c. Alia in situ, alia aliter: Sic Anno 1544. Natus est infans ab honestis & nobilibus parentib; teter admodū & horribilis aspectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribusq; bovinis, & figura cornu exertis ac prominentibus, dorso pilis caninis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus, oculis felium subtus umbilicum hypogastrio affixis, tetricis & miaucib; canum capitib; ad utrumq; cubitū. Ubī nondum hoc & alia monstra plurima non ad unam saltē classem posse referri; sed ad varias, prout labe simplici vel multiplice notantur: Nascuntur enim aliquando infantes, quorum oculi sunt in mediâ fronte, nares in laterib;

lateribus, & aures in occipite. Prodeunt etiam, quorum facies in tergo, & manus adnatæ scapulis. Sic Anno Chr. 1634. die 15. Junij. Natus est monstruosus partus Iunonis copia ab uxore sutoris, & erat sexus masculini, in summitate capitis calvi erat cutis in rugas complicata, instar corona, facies erat oblonga, nec lingua in ore, circa dextrum capitù extendebar cutis in dextrum humerum, quasi pustula humore distenta. Sed circa collum parte sinistrâ erat corrugata cutis instar complicati collaris. Aures parva ad occiput erant deflexæ. Crassitudo humerorum & pectoris erat in proportione major alijs membris, & desinebat circa coxam, quasi in trigonum. Brachia cum manibus, & femora ac tibia cum pedibus erant minora proportione ventriculorum. Baz. lib. 7. cap. 19. Hæc de Monstris, & pro ingenij & instituti ratione dicta sufficient. Sit Deo Trinum laus, honores & gloria in perpetuas æternitates, Amœ.

## CONSECTARIA.

An Nymphæ aquatice, Tritones & Nereides sint monstra? N.

An homunculi subterranei, seu virunculi montani, qui Cobali vocantur, sint monstra? N.

An Dæmones domestici, Germanis Guteli, nobis Comptegubbar dicti, qui quotidie partem laboris domi perficiunt, & jumenta curant, monstra sint? N.

An cæci canum catuli monstrasint? N.

An pullus gallinaceus ab anate aut anseri exclusus monstrum sit? N.

An in plantarum quoq. genere dentur monstra? Aff.

An quibus membra fascijs & ligamentis pervertuntur, aut

tur, aut quibus partes nonnullæ resecantur, mon-  
stra sint? N.

An monstra intendantur à Naturâ? Aff. D.

An ex congressu hominis & bruti generari possit ve-  
rus homo? N.

An monstra faciant ad pulchritudinem universi? N.

An statua salis, in qua versat uxor Loth sit mon-  
strum? Et an ideo in statuam salis sit compacta, quod  
vespere præcedente, cum Loth Angelos exciperet,  
in cœnâ non apposuerit salem quo cibi conduntur,  
idq; ex hospitalitatis odio, ut Judæi dicunt? N.  
utrumque.

An monstrosi partus sint alendi? Aff. D.

---

Felix, cui nota est naturæ cauſa latentis!

Et sua qui noscit pectora valde sapit!

Divina humanos mens namq; infusa per artus,

Cogitet ut spredo regna superna solo, est.

H O C,

terras

Humanissimum & doctissimum Virum,

DN, PETRUM M, GYLLENIUM

Wermi, Phil. Cand, meritissimum, tanquam ami-  
cum sincerè colendum honorare volebam in pro-  
cinctu stans ad iter..

ENEVALDUS SVENONIUS,

Gyld. Al. Elog. Prof. P.

(O)S

